Et lazaruſ a reprobo eſt diuite cognituſ
quem mitti precatur ex nomine dicenſ.
Mitte lazarum ut intinguat extremum
digiti ſui in aquam. & refrigeret linguā
meam. quia crucior in hac flamma.
In qua uidelicet cognitione utriuſq. par
tiſ cumuluſ retributioniſ excreſcit.
Ut et boni ampliuſ gaudeant. qui ſecum eoſ
laetari conſpiciunt quoſ amauerunt.
et mali dum cum eiſ torquentur quoſ
in hoc mundo deſpecto dō dilexerant.
eoſ non ſolum ſua. ſed etiam eorum poe
na conſumat. Est autem in electiſ quid
dam mirabiliuſ. quia non ſolum eoſ agnoſ
cunt quoſ in hoc mundo nouerunt. ſed ue
lut uiſoſ ac cognitoſ recognoſcunt bonoſ
quoſ numquam uiderant. Nam cum anti
quoſ patreſ in illa aeterna hereditate

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 264, p. p.%20112 – Prognostica Juliani (http://www.e-codices.ch/en/csg/0264/p.%20112)